

miserunt quosdam Clericos de sociis eorum *etc.* simul cum praedicto Andrea et Angelo procuratore ad eandem Cannensem Ecclesiam credentes ad hoc benefacere, et sub expensis eorum, quia praenominati Archipraesbiter Cannensis, et Procurator promiserunt eidem Archipresbitero Baroli et socii expensas ipsas restituere, feceruntque infra-scriptas res de rebus ipsius Cannensis Ecclesiae apud Barolum deferre ibidem conservari, et deponi sub custodia praedicti Cannensis Archipraesbiteri et Angeli procuratoris praedicti videlicet mappas duas de altari de lapidibus marmoreis, campanam unam, et alias planeas de lapidibus marmoreis, quas quidem res delatas per eos, prout supra distinguitur, incontinenti et sine aliqua diminutione ad mandatum, praedicti domini Minerbinensis Episcopi eidem Andreae Archipresbitero, et praedicto Angelo procuratori in praesentia prefati Domini Episcopi, ac in nostro testimonio, tam voluntarie, quam libenter assignaverunt et fecerunt integre resignari quamquam fuissent sub custodia dicti Cannensis Archipresbiteri et procuratoris ipsius ea omnia deputata; nos vero qui supra Bivianus Minerbinensis Episcopus per praesens praedictum scriptum fatemur praedicta omnia qualiter perleguntur fuisse in nostra praesentia plenarie exequuta pariter et completa, et per hoc non oportuit nos ad excommunicationem nunciandam procedere, quia minime nobis costare potuit de sacrilegio supradicto. Et nos qui supra Andreas Archipresbiter et Angelus procurator in presentia predictorum Iudicis, notarii et testium subscriptorum praedicta omnia, que supra distinguuntur vera esse fatemur et predictas res recipisse. Unde ad futuram memoriam et ipsius Archipresbiteri Baroli et sociorum cautelam presens testimoniale scriptum exinde factum est per manus mei notarii signo meo solito subscriptione testium roboratum *etc.*

*Exstat signum etc.*

Robertus q. s. Iudex Baroli.